



B. 418.



6

LECTOREM BENEVOLVM
AD
ORATIONEM
DE
SENIO NATVRAE HVMANAE

D. VIII FEBR. A. R. S. c1o 10cc XVIII.

AVDIENDAM

PER OFFICIOSE ET PERAMANTER INVITAT

ATQVE

HAC PROLVSIONE

NORIMBERGENSES QVOSDAM

DE INCLVTA ACADEMIA IENENSI

BENE MERITOS

ADHVC RECENSET

CHRISTIANVS GOTLIB. SCHVVARZIVS P.P.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

(N. VIII)

LECTOREM BENEVOLE
AD
ORATIONEM
DE
SENIO NATURAE HUMANAE

D. VII FEBR. A. E. 1710
A. DIEBDA
SERVICIOSA FERMANA INVITAT

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZUHALLE

NORIMBERGENSIS QUOSDAM
DE INCVATA ACADEMIA TENENS
BINE MERITOS
CHRISTIANVS GOTTFR. SCHWARZIVS P.P.

1710
(1710)





Osteaquam de egregio THEOLOGORVM
pari, qui Norimbergae nati tum de uni-
uerso coetu sacris emendatis addicto,
cum inprimis de inclyta Academia Sa-
lana, quondam bene praeclareque sunt
meriti, iam antehac commemorauimus;
nunc ad alios quosdam Norim-
bergenes, qui Ienae publice docuerunt,
breuissime recensendos progredimur. In
his quidem uel primo loco iam collaudandus
nobis haud immerito uidebatur IOHANNES
STROMERVS. Huius enim eximii Iureconfulti
insignia in Lipsiensium pariter atque Ienensium
Academiam merita extiterunt. Lipsiae enim,
ubi Stromeri diu inclauerunt, et aedes
Auerbachianas a suo cognomine sic dictas
possederunt, hic non solum in summo
Prouinciali iudicio ordinarii caussarum
Patroni uices obiit; sed et inter
Academiae illius Professores ius publice
interpretatus est. Abhinc, cum in Aula
Sereniss. DVCEVM Saxo-Vinariensium
per decem annos splendido Cancellarii
munere cum laude defunctus esset,
Academicam uitam multo sibi potiore
iucundioreque duxit, adeoque A. MDLXXXVII
Ienam delatus, in Dicasterio summo,
quod ibi floret, Assessoris prouinciam
suscepit, et in Academia Iurisprudenciae
publice profitendae denuo operam nauauit,
consulatamque Academicam magno cum
commodo illius coetus eruditi iterum
gessit, ac tandem A. MDLXCVII, d. XI
Octobr. octogenario maior ibi e uita
decessit. Equidem constat, exploratumque
est, *Auerbachium*, opidum superioris
Palatinatus, uindicare sibi ortum
Iohannis huius Stromeri; at tamen,
et *Adrianus Beierus*, in Syllabo
Rectorum ac Professorum Ienensium,
p. 569, et *Io. Cass. Zeumerus*, in
Vitis Professorum Ienensium, p. 56,
item et *Albert. Meno Verpoortenius*,
in notis ad Epistolas ad Vencesl.
Lincum scriptas, p. 89, tradiderunt,
Stromerum hunc non solum Norimbergae
educatum, primisque studiorum rudimentis

eruditus

A 2

instru-

instructum fuisse; sed et inclytam huius nominis Familiam, quae multis abhinc saeculis ibidem floruit, cognatione aliqua attigisse. At enimvero, pro egregia sua et harum rerum accuratissima cognitione, beneuole me docuit Generosissimus DN. CHRISTOPHORVS IACOBVS IMHOFFVS *ab et in VVeidenmuhl*, istis *Auerbacensibus Stromeris* nullum prorsus sanguinis necessitudinisque uinculum intercessisse cum illustri et peruetusta STROMERORVM gente, quae non minus gentilitiarum imaginum splendore, quam singularium meritorum ornamentorumque gloria, perlongo memoriae temporumque interuallo Norimbergae floret, et ut perpetuo floreat, publici boni causa peroptamus. Quapropter, licet plura omnino nobis suppeterent, quae de isto Iohanne Stromero dici repetique possent; illud unum tamen monuisse, nobis in praesens sufficiat.

Io. Christophorus
Falcknerus.

Itaque nunc ordine meritoque suo nobis occurrit IO. CHRISTOPHORVS FALCKNERVS, quem nascentem excepit Lauffa, opidum Norimbergense, idque non minus aeris salubritate, quam optimae cereuisiae coquendae artificio quaestuque honesto, insigne. Natus is est, A. d. c. l. c. xxviii, d. xxv^{te} Augusti, ex Patre honestissimo, eiusdem opidi per xxvi annos Poligrapho et Consule seniore, redituumque opidanorum et Xenodochii curatore; ac matre multis uirtutum nominibus commendatissima, HELENA BEERIA. Cum eximia quaedam indoles et cumprimis singularis memoriae uis, (quam et in aetate ingrauescente semper retinuit integram) mox in teneris eius annis eniteret; magna Parentum suorum cura, summis Christianae religionis capitibus, literarumque rudimentis imbutus, eoque consilio primum fidelissimo illius loci Praeceptoris, Iacobo Andreae Reichelio, traditus; deinceps autem, anno aetatis suae decimo quarto, in Gymnasium Aegidianum, quod etiamnum Norimbergae floret, dimissus est. Hic inuenit magistros docendae pubis dexterrimos, Georgium VVidmannum, Michaellem Mannerum, et Iohannem Riednerum; quibus

quibus industriam suam, ac modestiam, obsequiumque, adeo probauit, ut, quod B. Falcknerus posthaec non sine grata iucundaque recordatione crebris usurpauit sermonibus, isti optimi Praeceptores hunc discipulum suum ne uerbo quidem grauiore unquam appellarint obiurgantque; tantum abest, ut ipsum seueriore disciplina regere necesse habuerint. Neque minus de ingenio eius deinceps bene senserunt uiri fama meritisque perpetuam laudem adepti, DILHERRVS, VVLFERVS, BEERVS, et KREISELMANNVS, quibus in publico Norimbergensium auditorio selectiora doctrinae argumenta recitantibus tam affiduus, tantoque cum successu, affuit, ut bene recteque praeparatus, A. clo loc xxxviii, mense Maio, celeberrimam Ienensium Academiam auspicato adiret. Commodum accidit, ut tum temporis adhuc uiueret floreretque uir munerum meritorumque amplitudine maxime conspicuus, SEBASTIANVS BEERVS, hereditarius clientelarium Drackendorffii, Leuenthalii, et Zoeppezizii, Serenissimi Saxoniae DVCS in Aula Altenburgensi Consiliarius, et sacri Consistorii Praeses. Quo auunculo et conterraneo suo Falcknerus usus est benignissimo liberalissimoque, adeo ut, post DEVM, eiusdem consilii ac beneficentiae omnes fere fortunae suae honorumque accessiones retulerit acceptas. Huius enim ipsius commendatione id consecutus est, ut in IO. CHRISTFRIDI SAGITTARII, uiri celeberrimi, hospitium conuictumque et scholas interiores recepit, praeclara doctrinae adiumenta sibi compararit. Postquam uero Iena discesserat Sagittarius, etiam Falcknerus A. clo loc lii, mense Maio, cum contubernale, eoque ciue suo, VVolfgango Eschenvveckero, laurae iuridicae candidato, reuertit in patriam; ubi cum hoc ipso studiorum suorum socio, ac uelut aemulo, iurisprudentiam, aliasque doctrinae partes, assidua repetitione pertractauit. Sed cum neque dum sibi ipse satisfacere uideretur, altero post anno, se recepit ad Musas Salanas; unde uero paullo post Altenburgum

burgum euocatus aliquandiu in aedibus Auunculi optimique Maecenatis sui se tenuit, ut et locuplete eius bibliotheca uteretur, et hoc tam egregio duce ad leges ac iudicia olim administranda, usumque rerum, eo felicitius se compararet. Mirifico autem uitae Academicae desiderio captus, de uoluntate huius Auunculi sui, anno cō Ioclv, tertium uenit Ienam, ibidemque spei trium Iuuenum equestris dignitatis admotus, ac ueniam consecutus ab ordine iuridico, priuatas iuris scholas aperire coepit. Ne uero sibi non certio rem planioremque uiam ad publicos honores capeffendos muniret, summa studii iuridici praemia modeste ambiit, eademque, postquam praeter cetera doctrinae specimina rite edita cursim interpretatus fuerat *Legem I Cod. de ueteris numismatis potestate*, disputationemque de *Retrotractione* inaugurandi causa habuerat, diribitor Iureconsulto praestantissimo, D. STRVIO, A. cō Ioclviii, d. xii Iulii, omnium doctorum suorum consensione, solemnibusque caeremoniis, impetrauit. Eo ipso tempore uita excefferat ERASMVS VNGEPAVR; quem eximium Iurisconsultum Salana Academia huic nostrae Noricae debuerat. Qua occasione ceteris Iurisconsultis adscendentibus, cum locus Iurisprudentiae ciuilis extra ordinem profitendae uacuefactus esset, FALCKNERVS in hunc, eo ipso adhuc anno, surrogatus est. Imo, cum haud ita multo post celeberrimus Iurisconsultus, IO. STRAVCHIVS, abdicato munere Academico, Iena Brunswigam abierat; hic noster, iussu et auctoritate Serenissimorum Academiae Ienensis Nutritorum, anno cō IocLxi, mense Iulio, inter ordinarios iuris Professores cooptatus est; neque minus deinceps in Collegio *Scabinorum*, et in prouinciali curia, Assessoris locum obtinuit. Quibus honoribus magna fide atque industria perfunctus, ordini suo septimum cum laude praefuit, atque Rectoris magnifici auctoritate fasces Academiae, A. cō IocLxiii, cō IocLxxii, et cō IocLxxviii, tam bene feliciterque rexit, ut singularis beneficii

ficii diuini loco haberet, nullum suum consulatum Academicum aliquo ciuium Academicorum tumultu, casuue tragico, interturbatum fuisse. Quod ad res eius domesticas attinet, A. cō 1061, in matrimonium duxit DOROTHEAM HARTMANNIAM, HENRICI HARTMANNI, in Suprema Saxoniae curia prouinciali Procuratoris, et sacri Consistorii Lipsiensis Protonotarii, filiam; cum qua placide semper frugaliterque uixit, et undecim liberos procreauit. Anno cō 1068, graui uoletudine affigi cepit, ita ut, interrupta somni quiete, et stomacho languente, uires ipsius maiorem in modum deficerent, et, accedente *cachexia* atque tympanitide, uis morbi ingrauescentis nullis remediis expugnari posset. Cuius mali causam ipse retulit ad haustum quendam cupidum, quo forte indignatione atque ira accensus sitim incautius restinguere uoluerat. Haec adeo de uita FALCKNERI nunc exponenda duxi, quae ipse, morti fere iam proximus, litteris Germanicis consignauit, quasque litteras dignissimi eius ex fratre nepotes, uir multo nobilissimus, consultissimusque, CAROLVS FALCKNERVS, Iuris utriusque Doctor et illustris Reipublicae Norimbergensis Aduocatus ordinarius, item et uir amplissimus iuriumque peritissimus, IOHANNES WILHELMVS FALCKNERVS, eiusdem ILLUSTR. SENATVS a commentariis opidi Lauffensis, beneuole mecum communicarunt. Ceterum, diem supremum obiit uir optimus, IO. CHRISTOPHORVS FALCKNERVS, mense Martio, A. R. S. cō 1069; neque nullam industriae suae atque doctrinae memoriam, uariis exercitationibus Academicis in lucem editis, reliquit. Cuiusmodi disputationes a Zeumero commemorantur 1) *Controuersiarum selectionum decades quinque*, resp. C. Richter, A. 1661. 2) *de dolo, culpa et casu, quatenus in contractibus praestentur*, ad L. 23 Dig. de R. I. A. 1662. 3) *de commodato*, resp. Io. Zach. Schapero, A. 1663. 4) *de rei debitae interitu*, resp. Henr. Kreyenberg, A. 1663. 5) *de sauitione Mutiana*, resp. Io. Schmidelio, A. 1664. 6) *de Locatione conduct.*

conduct. resp. Levin a Windheim, A. 1664. 7) inaug. de traditione per constitutum, resp. Io. Casp. Horn, A. 1665. 8) inaug. de contractu emtionis venditionis, resp. A. VV. Friso, A. 1665. 9) de iure hospitiorum, A. 1666. 10) de statuto et consuetudine, A. 1666. 11) de saluo conducto, resp. Petro Pancr. Kraus, A. 1666. 12) inaug. de facti poena, resp. Christoph. Krugelstein, A. 1666. 13) de carceribus, resp. Buytendyck, A. 1668. 14) de favore iuris, resp. Bernh. Bergner, A. 1668. 15) inaug. de foeneratorum per SCrum Macedonianum coercitione, resp. Adolph. Schelhase, A. 1668. 16) de Iure sacro Statibus Euangelicis competente, resp. Lehmanno, A. 1668. 17) de ἀνοχη, resp. Nic. Franck, A. 1670. 18) de iure et legitimatione spuriorum, A. 1670. 19) de iuramentis illicitis, 1671. 20) de iure reconueniendi, resp. Bussio, A. 1672. 21) de antiquo et moderno adoptivum iure et statu, resp. Alberti, A. 1673. 22) de re integra, A. 1673. 23) inaug. de sub- et obreptione, resp. Chr. Büdnero, A. 1674. 24) de remissione locarii, ob sterilitatem aliosque casus fortuitos, resp. Alberti, A. 1675. 25) inaug. de purgatione morae, resp. Beniamin. Dreyshaerff, A. 1675. 26) de Saliariis, praecipue Pastorum, resp. Gottero, A. 1677. Praeter has disputationes B. nofter Omeisius adhuc recenset: 27) de iure asytorum, 28) de aduocatione caussarum, 29) de clericorum priuilegiis, 30) de iure consiliariorum, 31) de donatione Constantini M. 32) de delictis poena gladii coercendis. Item, 33) Commentar. Pandectarum theoretico-practicarum, A. 1668. 34) Exercitationes iuris publici, 35) Libr. de usu practico feudali, A. 1671. 36) Tract. de priuilegiis studiosorum, qui tertium editus est Ienae, una cum disputatione de Pactis adiectis.

Io. Piscatorius.

A Falcknero deuenimus nunc ad IOHANNEM PISCATORIVM, quem Norimbergae in hanc lucem susceptum esse, testimoniis satis euidentiis constat; quanquam ceteroquin pauca, quae de ipso memoremus, comperta habeamus. Hic sine dubio antehac Germanico cognomine appellatus est *Fischer*; quia non solum in ipsius sigillo epistolis manu exaratis impresso figuram piscis atque crucis;

cis; sed et has siglas: I. F. i. e. *Iohannes Fischer*, mihi animaduertere licuit. Veri simillimum est, ipsum VVitembergae litteris operam dedisse: namque in illa ipsa Academia, A. cōlō LXVIII, *Decano* Christophoro Pezelio, summis in sapientiae studio honoribus ornatus, inter xxx laureae philosophicae Candidatos locum quartum promeruit. Deinde uero Altenburgensem scholam Rectoris nomine moderatus est; id quod *P. IIII historiae Gymnasiorum scholarumque*, p. 197, annotauit celebratiss. G. LVDOVICI, hodie Theologiae Doctor et Prof. atque Athenaei Casimiriiani, quod Coburgi est, *Director*. Piscatorius autem, Ienam uenit non anno cōlō LXXIII, uti non nulli animaduertent; sed anno cōlō LXXV, mense Ianuario; ita, ut d. xvi Febr. eiusdem anni, prouinciam humanitatis ac poeseos publice docendae auspicatus sit: id quod non solum Adrianus Beierus, et Io. Casp. Zeumerus, recte prodiderunt; sed et Balthasar ab Herden, in *commentariis de Academia et opido Ienensi manu exaratis*, annotauit. Nequetamen diffitemur, Piscatorium citius Altenburgo abire, et interea alibi commorari, potuisse. Is tandem et litteras Graecas publice Ienae interpretatus est. A. cōlō LXXVI, d. iii. Iulii, Decani philosophici uice perfunctus, vii Magistrōs creauit, in quibus fuit etiam Georgius Sigelius, Norimbergensis, postea ad Antistitis et Theol. Professoris Altorfini dignitatem prouectus. Sed idem Piscatorius etiam anno cōlō LXXX, et cōlō LXXXII, ordini suo prae-fuit, ac pluribus philosophiae candidatis, tum primam, cum alteram lauream, impertiuit. In epistolis A. cōlō LXXV manu sua exaratis ad Christophorum Fabium Iulium, Consiliarium Noricum, scripsit, se nuptiarum occasionem magnam amor patriae posthabuisse. Id quo ualeat, non satis capimus. De uitae exitu huius Piscatorii mira sunt, quae retulit Adrianus Beierus, in *Syllabo Rect. et Prof. Ienensium*, p. 995. *Piscatorius*, inquit, *incoluit aedes Flacianae; in quibus a quodam anonymo, qui eius diuitiis inbiauit, noctu suffocatus et extra portam Lobedanam deportatus est in hortum,*

B ponti-

fonticulo tunc uicinum, ad dextram situm, hodie agrum. Id quo tempore acciderit, aut quo testimonio constet, haud docet Beierus. Neque alia, nisi eiusdem uerba, retulit Zeumerus. Quare in eam ueni cogitationem, annon ista narratio in errore uersetur, et fortasse aliunde nata fefellerit hunc scriptorem, et qui eum sequuntur: cum idem et de alio Professore Ienensi narrari audierim. Coniecturam mihi attulerunt quaedam aduersaria, siue commentarii manu scripti rerum Ienensium, quorum euoluendorum aequae, ac binarum Piscatorii litterarum supra citatarum, copiam pro insigni humanitate sua mihi fecit uir excellentissimus primariusque nostrae Academiae Medicus, D. IO. IACOBVS BAIERVS, collega mihi magnopere uenerandus. In quibus commentariis cum Balthasar ab Herden quondam eas potissimum res, quae sua aetate usque ad annum 1698 in Academia et opido Ienensi acciderunt, diligenter consignarit, inter alia etiam annotauit, quo tempore Piscatorius uenerit Ienam, et quoties ordinis philosophici res moderatus fuerit; tandem uero scripsit, anno 1698, Io. Schroetero, Med. Doct. tunc nonum Academiae Rectore, *M. Ioannem Piscatorium professioni suae renunciaisse, et successorem habuisse Andream Libaninum, Hallensem, Medicinae Doctorem, ex Schola Coburgensi accersitum.* Mirum igitur foret, huiusmodi tragici casus, si quidem is contigisset, nullam mentionem factam fuisse ab Herdenio, qui ceteras eius aetatis res tam sedulo notauit; neque tristis huius fati memoriam in annalibus Academiae Salanae asseruatam esse. Imo, mihi propius a uero abesse uidetur, cum et alii ob motas in Theologia controuersias tunc Iena abierint, etiam Piscatorium illinc digressum fortasse VVitembergam se contulisse. Ad quod suspicandum me induxit εὐθύλιον ἐυφημικὸν M. Ioannis Piscatorii, Norimbergensis, VVitembergae A. 1698 typis exscriptum, et summis in theologia honoribus D. Christophori Gundermanni, Antist. et Prof. Lips. Petri Calamini, Petri Streuberi, Pauli Auleandri, et Greg. Schoenfeldi, dicatum; quod in bibliotheca Xenodochiana Norim-

Norimbergensium forte animaduerti. In quo carmine auctor haud obscurum de se facit indicium *Philippismi* sic dicti, et inter alia in eos inuehitur, *Qui spirent, NIGRAE spreta dulcedine TERRAE, Et res affectent seditione nouas.* In alia eius scripta atque monimenta hucusque non incidimus, nisi quod ipse in litteris ad Doct. Iulium anno c1o LXXV datis se propediem de *Notitiis* publice disputurum significauit.

Nondum ita a recensendis Norimbergensibus, qui de florentissima Academia Salana bene meruere, discedimus, quin hoc loco etiam de uiro honestissimo, ANDREA BEHEIM, ciue et mercatore Norimbergensi, mentionem iniiciendam existimemus. Etiam si enim egregium pulchrumque est, eruditione ac doctrina excellere, et de bono publico bene mereri; haud minus tamen in laude ponitur, beneficiis ornare Musas, et fauore ac liberalitate identidem excitare ingenia, quae in spem Patriae et in saeculi ornamentum formentur. Cuiusmodi eximiae liberalitatis cum luculentum quondam exemplum dederit laudatus Behmius, non possumus, quin memoriam optimi huius uiri, qui, quantum in se fuit, de litterarum studiis, nominatimque de Musis Salanis, bene praeclareque mereri uoluit, grata nunc mente quodammodo resuscitemus, eiusque piis Manibus bene precemur; etiam si ipsius eximii beneficii fructum temporis iniuria interceptisse uideatur. Quia uero alia plura atque certiora nobis necdum suppetunt; ea duntaxat in praesens huc transferre liceat, quae de Behmiano instituto, eiusque successu, publicis litteris prodidit Adrianus Beierus, in *Syllabo Rector. et Profess. Ienens.* p. 87. *Andreas*, inquit, *Behm, ciuis et mercator Norimbergensis, Musarum et Charitum fauitor liberalissimus, certam pecuniae summam pro XII Studiosis, horumqueInspectore et Famulo, Ienae commorantibus, instinctu D. Georgii Mylii, ibidem Theologiae Professoris, A. C. c1o LXXX, ordinauit, et quotannis quinquaginta Thaleros imperiales, Rhenonemque, et alia necessaria, destinauit singulis, aedesque a Matthia Flacio Illyrico, in Salana Theologiae Professore, cognominatas, in extremo plateae fraternae, seu collegialis, angulo sitas, et anno c1o LXXVII per quorundam tumultum deuastatas, et edicto aulico,*

Andreas Beheim.

A. c̄ōl̄ōl̄xviii, sumtibus Senatus opidani redintegratas, (quae
 A. c̄ōl̄ōl̄xxxix, d. xxii Febr. a Senatu Academico emit, cccc xv
 florenis Misnicis per D. Mylium d. xi Maii per solutis) inhabitan-
 das delegauit. Hoc siue Flacianum, siue Bohemianum collegium
 sodalitiūque, Iena VVitembergam A. c̄ōl̄ōl̄ciii, d. xvii Octobr.
 abiturienti abduxit D. Mylius, primus eius inspector et primarius,
 imo unicus proxeneta et pararius. Quo ausu et successu, sidere
 et fato, testatur experientia. Eius enim post obitum aliquandiu
 uiguit; postea delegata pecuniae summa ad Fiscum migravit
 Electoralem, et Bellonae Musarum et Charitum coronae instinctu
 inuido hactenus emanst.

Sed sufficiant haec in praesens, quae uel ipsa nouo argu-
 mento esse possunt, naturam humanam necdum adeo ste-
 rilem effoetamque esse, quin adhuc nostro nostrorumque
 patrum aeuo eximia doctrinae et liberalitatis exempla tulerit;
 quanquam corporum robore, uitaeque longaeuitate,
 et aliis nominibus, primis mundi saeculis omnino cedat.
 De quo *naturae humanae senio* plura publice differet, ora-
 tionemque diligenter a te conscriptam habebit Pereximius
 et ab ingenio ac doctrina rectisque moribus commen-
 datissimus Iuuenis, IO. GVILIELMVS LEONHARDVS SCHVLZIVS,
 VVeissenburgo-Noricus; qui laudes ductu egregiorum do-
 ctrinae magistrorum iam in Gymnasio patriae suae partas
 hucusque apud nos indefesso studio maiorem in modum
 auxit. Cui adeo cras recitatur, ne, dato aeris Campani
 signo, adesse grauentur **MAGNIFICVS ACADEMIAE
 RECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, MAXIME
 GENEROSVS OPIDI HVIVS PRAEFECTVS,
 PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, itemque CIVES
 ATQVE HOSPITES generis et doctrinae nobilitate flo-
 rentissimi; his ipsis litteris interpretibus, nunc ea, qua par
 est, obseruantia et humanitate rogo. Neque uero dubito, fu-
 turum esse, ut hac tam honorifica praesentia, tamque splen-
 dido et frequenti auditorio, non solum Schulzii animus ad
 praeclara quaeque contendens magnopere confirmetur;
 sed et aliorum ingenia ad colendum prosequendumque lit-
 terarum humaniorum studium acrius incitentur.**

P. P. D. VII FEBR. A. R. S. c̄ōl̄ōl̄cccxxiiii

Nr 907. 8^u

X 228 4906

ULB Halle

005 391 881


3



h. t.







6

LECTOREM BENEVOLVM
AD
ORATIONEM
DE
SENIO NATVRAE HVMANAE

D. VIII FEBR. A. R. S. cloccxviii.

AVDIENDAM

PER OFFICIOSE ET PER AMANTER INVITAT

ATQVE

HAC PROLVSIONE

NORIMBERGENSES QVOSDAM

DE INCLVTA ACADEMIA IENENSI

BENE MERITOS

ADHVC RECENSET

CHRISTIANVS GOTLIB. SCHVVARZIVS P.P.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

(N. VIII)